



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE *PUBLICAS OFFICIORUM**

APOSTOLICA NUNTIATURA
APUD MADAGASCARIANAM REMPUBLICAM ERIGITUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — Publicas officiorum inire rationes, quibus haec Apostolica Sedes ad communis boni religionisque christianae incrementum varias nationes attingeret, sollemne semper fuit Romano Pontifici, ideoque et Nos, qui onus regendae hisce temporibus Ecclesiae sustinemus, eas vel primum iungendas vel etiam firmandas assidue curamus. Nuper autem cum nobili Madagascariae Civitate huiusmodi amicitiae vincula sunt constituta, auditisque eius insulae Moderatoribus, novam Pontificiae Legationis sedem ibidem esse collocandam censemus, quae negotia omnia expedienda legitime expediat. Quapropter, omnibus attente perpensis, Nos, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, *Nuntiaturam Apostolicam* in Republica Madagascariana erigimus atque constituimus, eiusque sedem in urbe Tananariva collocamus. Eidem igitur sic per Nos erectae Nuntiaturae omnia et singula deferimus iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quae huiusmodi Legationum propria sunt, certa spe freti hanc voluntatis Nostrae testificationem religioni provehendae esse conducturam. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; ipsique Apostolicae Nuntiaturae in Madagascariana Republica, sic a Nobis erectae, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Ianuarii, anno MCMLXVII, Pontificatus Nostri quarto.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

© Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana